

hac vita, & fidelibus ac sanctis divino beneficio obtingat præ-  
 gustus quidam vitæ seu beatitudinis æternæ. Sic *Lutherus* ipse  
 in Enarr. Psal. XC. quæ extat Tom. VIII. Altenb. fol. 199. &  
 200. Gott gibt seinen Heiligen und Auserwehlten hier auff  
 Erden einen Vorschmack des Himmels und der ewigen Herrlichkeit/  
 und schenckt ein ihnen Trüncklein der himmlischen Freude und See-  
 ligkeit. Sic B. *David Chytraeus* in libello egregio de Morte &  
 Vita Æterna plus simplici vice mentionem facit *inchoationis*  
*vita æternæ sive Beatitudinis in hac vita; inchoationis & Gustus vitæ*  
*æternæ*: ac de his pie doctèque & eleganter differit, pag. 176.  
 conf. p. 282. 211. 217. 218. B. *Joh. Arndtius*, uti alias sæpius in li-  
 bris quatuor de Vero Christianismo, ita in primis lib. III. cap.  
 VI. p. m. 31. cum de acquiescentia animæ hominis Christiani  
 & motibus inde nascentibus differuisset; Daraus lernen wir  
 schmecken / ait, was das ewige Leben sey; Denn solcher Lieblich-  
 keit und Freude wird die Seele ewig voll seyn. *Joh. Matth. Mey-*  
*fartus* lib. Germ. de cœlesti Hierosolyma cap. III. prolixius  
 ostendit, daß bey den Frommen das ewige Leben in dieser Welt  
 sich anfahet. p. 28. seqq. Similiter A. 1640. *Israël Murschelius* Pa-  
 stor Bischensis & Hohenheimensis, Germanico stylo edidit  
 libellum, sub titulo Aurora sive Præ gustus vitæ æternæ; ap-  
 probantibus & laudantibus Theologis Argentinensibus B. *Dor-*  
*scheo* & B. *Dannhauero*. Alias autem *πρόγευμα, πρόγευσιν &*  
*προποτισμόν* beatitudinis cœlestis in hac vita, in scriptis Theo-  
 logorum dogmaticis, exegeticis, polemicis, asceticis plus mil-  
 lies memorata deprehenderis.

III. Solent autem eo referri dicta pariter & exempla va-  
 ria S. Scripturæ, v. g. ex Vet. Testam. *Psal. XXVII. v. 5. &*  
*XXXI. v. 21.* ubi Deus dicitur *pios deducere in tabernaculum suum.*  
 vid. *Meyfart. l. c. Ps. XXXIV. v. 9.* ubi homines jubentur *gu-*  
*stare & videre, quam suavis sit Dominus,* vid. *Back. ad h. l. Gerhard.*  
*L. de V. Æ. c. II. §. 19. p. 744. Psal. XC. v. 16.* ubi oratur Deus, *ut*  
*ostendat servis suis opus suum & gloriam suam filiis eorum* Vid. *Luth.*  
*l. c. Cant. Cantic. cap. I. v. 14. Introduxit me Rex in conclavia sua.*  
 Vid. *Beda* ad h. l. ubi hanc affert *παράφρασιν: Jam dulcedinem*  
*cœlestis*